

voluntatem internam furandi. Si vero nomine actus exterioris intelligamus quemcumque actum imperatum, etiam si sit immediate procedens a voluntate, sicut electio respectu intentionis, talis actus potest formaliter intrinsece esse liber, et voluntarius, et consequenter moralis, quia id habet ex vi suæ elicientiæ per intrinsecum ordinem ad objectum, non per denominationem extrinsecam. Unde secluso actu voluntatis, nullus actus erit bonus, vel malus, sed prout fuerit talis actus, proportionate loquendum est; actus quidem omnino externus, id est, facultatis externæ sine actu voluntatis denominative tangente illum, actus vero internus, sed imperatus, et sic exterior sine actu voluntatis formaliter elicitus, et intrinsece voluntario.

LVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod actus exterior procedens, et elicitus immediate ab ipsa voluntate, vel appetitu habet intrinsece, et formaliter libertatem, et rationem voluntarii per respectum, et ordinem extrinsecum ad suam potentiam, a qua eliciuntur, et egrediuntur, non per ordinem ad actum a quo imperantur, quia potentia illa libera est, et libero modo actus suos elicit. Si vero sit actus ab alia facultate sensitiva externa immediate elicitus, talis non est formaliter voluntarius, et moralis, sed denominative a voluntatis actu extrinsece imperante, non a potentia intrinsece vitaliter, et immediate eliciente, quia hæc non est formaliter libera. Nec est simile de baculo, aut lapide, vel igne applicato, aut bruto moto a causa libera, quia hæc non sunt instrumenta, aut facultates conjunctæ, nec informata eadem anima, quæ libere operatur per corpus, et per corporeas facultates. Unde tales actiones ex conjunctione et radicatione in eadem anima, a

qua procedunt, sunt capaces talis denominationis liberæ, non operationes mediante alio agente, et alia forma productæ, licet sit mota a causa libera extrinsece. At vero actus illi externi, qui habent libertatem, et rationem voluntarii a voluntate, et ex ordine ad illam, habent rationem regulationis, et moralitatis ex objecto regulato per rationem, quod reali tendentia, et respectu attingitur, supponendo tamen tamquam præsuppositum requisitum, quod sint voluntariæ actiones, et sub tali modo respiciunt objectum regulatum ut præsupponit rationem voluntarii in actu, alias objectum regulatum non est, nisi respectu actus talem conditionem habentis.

LVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod ut D. Thomas docet in hac quæstione xx, art. ii ad tertium voluntarium non solum dicitur de actu interiori, sed etiam de actu exteriori proveniente a voluntate. Unde recte dicit Anselmus quod vocamus illas actiones peccata, quia in voluntate est peccatum, id est, quia in voluntate, tam essentialiter quam participata, tam interiori quam exteriori, peccatum est, eo modo quo fuerit talis voluntas, si fuerit propria voluntas, et essentialiter, aut intrinsece libertatem habens, erit peccatum formaliter intrinsece, si fuerit voluntas participative, erit peccatum denominative participative. Et D. Augustinus optime dicit quod non nisi voluntate peccatur, vel voluntate essentialiter, et proprie tali, vel participative, et denominative, quæ denominatio extrinseca nascitur ex voluntate intrinseca.

## ARTICULUS VI.

*Quid addat malitia exterior ad interiorem, quid eventus sequens, quid multiplicatio actuum?*

I. Certum est quod si in peccato exteriori sit malitia ex objecto proprio, illa addit ad malitiam, quæ est ex fine, et provenit ex actu interiori voluntatis, seu intentionis, ut si quis furetur propter mœchiam, sunt duæ malitiæ in illo actu diversæ rationis, et ita una addit ad alteram, quia diversa est. Et idem est si actui exteriori sit alligata aliqua bonitas, quæ non est actui interiori etiam efficaci, ut gratia quæ solum datur ex opere operato susceptioni externæ sacramenti, non voluntati suscipiendi, et indulgentiæ per actus exteriores lucrantur, non per voluntatem lucrandi. Sed procedit difficultas de illa sola malitia, quæ est in actu interiori, et postea derivatur per executionem ad actum exteriorem, an videlicet ipsa executio malitiæ jam volitæ per actum interiorem, ex eo præcise quod ad executionem deducatur novam addat malitiam super malitiam actus voluntatis, quo ipsam voluit, et determinavit executionem. Et dico, quo voluit ipsam executionem, quia si est actus voluntatis nondum volens executionem, neque efficacem, sed solum complacens de re mala, et postea superveniunt actus exequens, non est dubium, quod talis executio superaddit malitiam ad illum primum actum inefficacem, quia intervenit præter illum primum, et inefficacem actum, alius etiam internus voluntatis, quo efficaciter vult illam executionem. Et sic multiplicato actu non est dubium, quod multiplicetur et malitia.

II. Quare difficultas tota consistit inter ipsam efficacem volitionem, et executionem ejus, an sola exterior executio addat malitiam ad volitionem efficacem ejus ex eo præcise quia executio ejus est. Quod si ultra præcisam executionem aliquid aliud addatur, verbi gratia si sit necesse pro executione, voluntatem ipsam magis intendi, aut multiplicare actus, quia non potest aliter fieri executio, tunc etiam addetur, aut crescet malitia propter illorum actuum multiplicationem. Sed hoc non est ex vi solius executionis, sed ex aliis conditionibus ibi repertis, ex quibus crescit, aut multiplicatur malitia. Solum ergo consideranda est ipsa mera, et nuda executio peccati jam voliti efficaciter, an ex eo præcise quod executio ejus sit, omnibus aliis remotis, addat aliquid malitiæ super actum voluntatis internum talem executionem intendentem.

III. In hac re duplex est principalis sententia. Prima affirmativa Scoti in quodlibeto xviii, art. iii, quem multi expositores ejus sequuntur, et ex recentioribus Valentia hic disp. ii, q. xv, puncto ix; Granados disp. vi, sect. ii, et alii. Secunda est negativa D. Thomæ hic quæst. xx, a. iv et in ii, disp. xl, q. i, a. iii. Quam sequuntur communiter auctores, tam antiqui, quam moderni. Ex antiquis sequuntur S. Bonaventura in ii, dist. xlii; Richardus ibi, Ægidius, Durandus, Gregorius, Gub. Capreolus, Almainus, in suis moralibus, tract. iii, c. xviii; communiter expositores D. Thomæ super hunc locum quæst. xx, a. iv; ibi Cajetanus, Conradus, Medina, Vazquez, disp. lxxvi, c. ii; Suarez disp. x, sect. ii; Lorca disp. xlv; Montesinos disp. xxviii, q. v, et plures alii.

IV. Ex patribus plura citantur testimonia, quæ favent huic sententiæ, qui communiter dicunt voluntatem esse pensandam in opere,

non id quod exterius est, et quod non minus est reus, qui voluit efficaciter, quam qui fecit de facto. Et videri potest Augustinus libro I de libero arbitrio, capite III. Et citatur in capite Si cui, de pœnit. dist. I, in illis verbis: « Si cui etiam non contingat facultas concubendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas datur, facturum esse, non minus reus est: quam si in ipso facto deprehenderetur: » et in epistola XLIX de sex quæstionibus, quæst. IV: « Ibi etiam sit beatus, vel miser, hoc est in ipso suæ voluntatis affectu, quæ omnium factorum meritorumque mensura est. » Si affectus voluntatis mensura est factorum, non ergo ex actu externo quidquam mensuræ additur, ergo nec aliquid malitiæ, aut bonitatis, si enim adderetur, hæc esset mensura. Ad eandem sententiam accedit Ambrosius libro I de officiis, cap. xxx, dum inquit: « Affectus tuus nomen imponit operi tuo quomodo a te proficiscitur, sic æstimatur. » Gregorius homil. V in evang. « Cor, inquit, non substantiam pensat Deus, neque perpendit quantum in ejus amorem, sed ex quanto proferatur. » Bernardus epist. LXXVII: « Voluntas pro facto reputatur, etc. » Chrysostomus homil. XXVI in Matth. « Sola voluntas est quæ remuneretur, sive bona in bonis, sive mala in malis, opera autem testimonia sunt voluntatis. »

V. Respondetur aliqui ad omnes istas auctoritates, patres non negare externis actibus bonitatem, vel malitiam, sed solum velle interiorum actum etiam secluso externo esse dignum præmio, vel pœna. Et cum dicunt non pensare substantiam, sed cor, et quod opera sunt testimonia, seu signa voluntatis, sensum esse, quod libertas a qua opera habent moralitatem provenit a voluntate, et ex illa sumenda est præci-

pua ratio meriti. Non tamen negant vere addere externum opus aliquid malitiæ, vel bonitatis interiori voluntati.

VI. Sed hæc expositio nimis frigida est; nam patres non solum absolute affirmant quid sit, vel quid habeat actus interior in se, et quomodo ab illo proveniat libertas, vel moralitas, sed etiam comparative ad actum externum, et discernendo an sit major reatus, vel malitia in uno, quam in alio, ut patet in illis verbis Augustini in capite Si cui etiam, dum dicit: « Non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur. » Si enim non minus reus est, ergo ex actu externo non magis reus est, alioquin illo minus esset reus, qui sola voluntate peccat, quia non potest opere. Et in verbis Chrysostomi aperte fit ista comparatio inter voluntatem, et actum externum, dum opera externa dicuntur solum testimonia, seu signa voluntatis, sola autem voluntas id quod remuneratur in bonis, vel in malis, ergo externum opus comparative ad voluntatem non addit ei malitiam, sed quamdam extensionem, aut significationem malitiæ interioris, quod est aliquid accidentale. Si ergo Chrysostomus et Augustinus (et idem de Gregorio) comparant actum internum cum externo in malitia, et nihil addunt in externo respectu interni, sed totam substantiam, et rationem boni, aut mali attribuunt interno, et ad summum aliquid accidentale externo per modum extensionis, aut significationis internæ malitiæ: ergo explicatio illa omnino inutilis est, qua dicitur solum significare hos patres, quod actus internus secluso externo est dignus præmio, vel pœna, aut quod ab illo dimanat libertas per quam opera externa habent moralitatem, cum in verbis relatis non solum hoc dicant patres, sed etiam totum tribuant

actui interno, aut non plus externæ executioni quam soli voluntati.

VII. Hanc secundam sententiam D. Thomæ tamquam vetiorem, et certiore amplectimur. Et fundamentum ejus est tum a priori, tum a posteriori. A priori est, quia vel actus externus consideratur ut objectum interioris a quo objective participat malitiam, vel ut effectus, et executio ejus, qui ab actu interno participat libertatem, et moralitatem seu bonitatem suam, aut malitiam. Si consideretur ob objectum, non potest nova, vel distincta malitia addi in actu externo ex actu interiori, quia tota malitia, vel bonitas, quæ est in objecto objective transfunditur in actum formaliter; ergo non est additio in uno præ alio, ita quod sit major malitia in objecto quam in actu, vel e contra, cum potius adæquentur in se actus, et objectum, et quidquid est in actu desumatur ab objecto, non vero objectum addit malitiam super actum, ita quod habeat aliquid objectum, quod non reluceat in actu, vel e contra, et solum est differentia, quod in objecto est objective, id est, tamquam in termino, vel motivo actus, non formaliter tamquam in actu ipso secundo tendente ad objectum, non tamen magis malum est objectum quam actus, vel e contra, sed potius ut dicitur Osee IX: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*. Si vero consideretur actus exterior ut effectus, et executio actus interioris, sic non potest addere exteriori ad malitiam, vel bonitatem interioris, quia si addit aliquid, vel illud superadditum est volitum ab actu interiori sicut executum est ab exteriori, vel non. Si non est volitum, non est malum, quia malitia moralis sive totaliter et adæquate, sive inadæquate et ex parte consideretur, quia nihil est peccatum, et malum morale quod non sit volunta-

rium. Et sic sumimus volitum etiam pro voluntario, seu a voluntate procedente, ita quod si id in quo actus exterior excedit interiorum in malitia voluntarium non sit, nihil malitiæ, aut peccati est. Si vero voluntarium, seu volitum sit id quod exterior actus addit ad interiorum, hoc ipso præhabetur in actu interiori voluntatis illud ipsum quod superaddit exterior actus, et in quo superat interiorum. Nam actus exterior si omnino externus, et sensibilis est solum per extrinsecam denominationem ab actu voluntatis dicitur liber et moralis, bonus vel malus; extrinseca autem denominatio non augetur per hoc quod recipitur in subjecto denominato, sed tota quanta est in subjecto, tota est in forma denominante, sicut esse visum in pariete totum effectum habet a visione, nec magis crescit ratio visionis, aut visi per hoc quod in subjecto denominato sit, sed si objectum denominatur visum intense, et ut quatuor, visio est intensa ut quatuor. Eodem modo si actus externus per denominationem extrinsecam est bonus, tota ejus denominatio est in actu voluntatis denominante.

VIII. Si dicatur actum externum ex se esse bonum, aut malum intrinsece per conformitatem ad rationem, liberum autem, et voluntarium extrinsece per denominationem a voluntate. Sed hoc jam rejicimus articulo præcedenti, et ostendimus conformitatem illam ad rationem, seu bonitatem moralem non convenire actui extrinsece, si ratio voluntarii convenit extrinsece, et denominative, cum conformitas ad rationem solum conveniat actui ut voluntario.

IX. Si autem loquamur de actu exteriori non omnino sensibili, et externo, sed solum imperato quamvis interne elicitio, sicut actus elec-

tionis imperatur ab actu intentionis, tunc separamus, et distinguimus id quod habet talis actus ex proprio objecto, et quantum ad hoc addit malitiam, vel bonitatem distinctam ab actu interiori, qui est circa finem et id quod præcise habet ex directione et imperio finis, seu expressione ejus; et quantum ad hoc non addit novam malitiam supra ipsam intentionem efficacem, et imperantem, nisi quamdam ejus extensionem, et participationem accidentalem, si quidem finis qui est objectum actus interioris, est circumstantia accidentalis actus imperati: omnis autem participatio accidentalis est minor, et inferior ratione ipsa essentiali a qua participatur, ergo non addit malitiam ista accidentalis participatio, quæ non continetur in interiori actu a quo originatur, sed tota quæ se habet ut accidentalis circumstantia actus exterioris, tota est essentialiter in interiori actu, nisi forte intensior fiat ex aliquo actu multiplicato, in quo casu non loquimur, quia tunc jam multiplicatur actus interior.

X. Et confirmatur totum hoc ex eo quod D. Thomas dicit in articulo quarto, quæst. xx, quia si voluntas sit efficax et perfecta debet esse talis, quod data opportunitate, et possibilitate operetur, alias perfecta non est, neque efficax; si vero perfecta existente voluntate, et efficaci non operetur ex defectu possibilitatis, hoc potius est ei involuntarium et pœnale, scilicet carere tali possibilitate, vel opportunitate. Ratio autem involuntarii nihil tollit de merito, vel de bono, aut malo, ergo nihil diminuitur de bono, vel malo morali in actu interiori, ex eo quod actus exterior non fiat posita possibilitate, et opportunitate operandi, ergo neque augebitur ex eo quod fiat opportunitate data. Patet consequentia, quia perfecta et efficax vo-

luntas hoc totum includit, ut scilicet opportunitate data operetur, ita quod si data opportunitate non operatur, aut mutatur voluntas, aut illa non erat efficax et perfecta; si autem subtrahitur opportunitas, ipsum non operari nihil diminuit, quia involuntarium est, ergo operari posita opportunitate nihil augebit, quia tota ratio operandi in ipsa perfecta voluntate posita est, sed aliquid ei augetur ex opportunitate, et executione operis externi, certe ablatio opportunitatis aliquid diminueret de voluntate perfecta: nihil autem diminuit, quia stante perfecta voluntate, defectus possibilitatis aliquid involuntarium est.

XI. Et hinc sumitur fundamentum a posteriori, quia si exterior actus, ut mera et pura executio est actus voluntatis efficacis et perfecti, adderet malitiam, vel bonitatem super actum voluntatis, sequeretur quod quocumque modo impedito actu externo, etiam per causam extrinsecam et violentam, posset meritum aliquod nobis perdi, aut malitia non imputari. Patet sequela, quia ille externus actus, ut mera executio est, per se addit bonitatem et meritum, ergo illo sublato non remanet illud meritum, et illa bonitas talis actus, ut externa executio est. Sed potest illa executio, et ille actus externus impediri, vel cessare ex causa aliqua extrinseca, ut si volenti dare eleemosynam fur de manu rapiat; si volenti ire ad celebrandum, vel ad audiendam missam, alter manus injiciat et sic de aliis multis, et idem est de peccato, ut si volentem emittere telum ad occidendum, alter impediatur et detineatur vi; aut euntem ad adulterium, alter impediatur detinendo violenter ne festinet. In his omnibus cessabit illud meritum correspondens exteriori actui, quatenus exterior est, solum ob causam extrinse-

cam violentam, et sic bonum virtutis erit subjectum fortunæ et casui, et nobis invitis possunt merita nobis tolli, quod est plane absurdum. Et in pauperibus deerit ratione paupertatis plurimum meritum, et bonum virtutis magnificentiam, quia non possunt exteriores sumptus magnificos facere prout oportet, nec eleemosynas multas largiri, et sic ex casu fortuito ex quo paupertas supervenit, destruetur tota bonitas moralis correspondens actui externo ut externo, quantumcumque maneat ut externo, et efficax voluntas exequendi illud, si opportunitas, et potestas non deesset. Denique videmus, quod pro actu externo exequendo, et pro interno eliciendo unum sufficit, et datur præceptum, unica in utrisque participatur libertas, et ratio voluntarii, nec additur illi aliquid libertatis per ipsam exterioritatem actus, ergo et unica malitia, seu bonitas si præcise spectetur id quod est interius, et exterius in malo et bono, et supponendo quod voluntas est perfecta, et efficax, nec multiplicatur, vel intenditur magis per hoc quod ad executionem reductatur, sed pure ad executionem exteriorem respiciendo.

XII. Respondent ad hæc auctores contrarii, quod potius ex his probationibus sequitur oppositum, quia bonitas, et libertas, seu moralitas est in actu exteriori causata, et derivata ex actu interiori, atque adeo est primario in actu interiori voluntatis, secundario in exteriori, et sic est distincta ab illa, quia causata ab ea, et effectus ejus; si autem est distincta etiam superaddita, quia ubi sunt malitiæ distinctæ si una conjungitur alteri, ei superadditur. Et dato quod libertas non multiplicetur in actu interiori, et exteriori, adhuc potest multiplicari bonitas vel malitia, quia libertas solum se habet ut conditio requisita ad bo-

num, vel malum morale, et sic licet illa non multiplicetur, poterit malitia aut bonitas multiplicari. De hoc vero quod possit aliquis invitus perdere aliquod meritum, vel bonitatem moralem, censent nullum esse inconveniens, quod indirecte, et per accidens sic perdat, quatenus tolluntur occasiones, vel causæ extrinsecæ exequendi illud meritum, non vero per se, et directe.

XIII. Sed responsiones istæ non evacuant vim fundamenti positi. Non prima, quia ut recte ponderavit S. Thomas in hac quæstione xx, art. iii ad tertium: « Quando aliquid derivatur ab alio tamquam a causa agente univoca, tunc aliud est quod est in utraque sicut cum calidum calefacit, alius numero calor est calefacientis, et calor calefacti, licet sit idem specie. Sed quando unum derivatur in aliud secundum analogiam, vel proportionem, tunc est tantum unum numero, sicut a sano quod est in corpore animalis derivatur sanum ad medicinam, et urinam, nec alia sanitas est medicinæ, et urinæ, quam sanitas animalis quam medicina facit, et urina significat. Et hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris. » Sic D. Thomas.

XIV. Per quam doctrinam excluditur responsio data loquendo de actibus pure externis, et sensibilibus, quia isti solum denominative extrinsece participant rationem voluntarii, et rationem bonitatis, vel malitiæ, quæ ex interno, et proprio actu voluntatis derivatur, non tamquam distinctam malitiam, vel bonitatem formalem causans, sed tamquam denominationem extrinsecam liberi et moralis, boni vel mali in eo relinquens; et sic non additur nova malitia, vel bonitas formalis intrinseca in actu exteriori, quia non causatur, sed solum

quædam denominatio, et extensio extrinseca, quia (ut jam probavimus articulo præcedenti et sæpe alias diximus) actus externus sensibilis non est alterius bonitatis, vel malitiæ capax, nisi per extrinsecam denominationem, et sic ratione sui non addit novam, et distinctam malitiam, sed solum extensionem quamdam denominativam ejusdem, quæ est in interiori actu quando ista est efficax, et perfecta, ita quod alias non indiget magis multiplicari, vel intendi actus voluntatis, sicut denominatio visi in pariete non addit aliquam visionem, vel affectum causatum in pariete, sed denominationem passivam visi.

XV. Si vero loquamur de actibus extremis non in hoc sensu, sed pro actibus exterioribus, qui imperati sunt ab aliis prioribus magisque interioribus, elicitis tamen, et immanentibus intra voluntatem, qui quidem non per extrinsecam denominationem, sed per realem, et intrinsicam respectum hauriunt malitiam a fine imperante, eamque participant, quia habent illum pro circumstantia, tunc invenitur quidem distincta malitia in actu exteriori, et interiori quantum ad hoc una causatur ab alia in actu distincto entitative, et intensive et sic extensive, et materialiter etiam est major, non tamen quantum ad hoc quod nova moralitas formaliter superaddatur, quæ interiori malitiam intensive augeat; sicut ex eo quod lux solis diffundatur in aere, distincta quidem lux est illa, quæ communicatur aeri ab illa quæ est in sole, quia ab ea causatur, sed tamen hæc solum materialiter, et extensive facit majorem lucem quam in sole, non majorem intensive, nec auget, aut superaddit ad ipsam lucem solis, quia totum quod est in aere est a sole, et in ipso præhabetur: sic malitia, vel bonitas finis voliti ex eo

quod imperet alium actum, et ei communicetur illius finis malitia, non auget intensive, et in ratione formali morali priorem malitiam, quia eadem quæ est in fine volito per intentionem, et essentialiter illi convenit, eademmet attingitur per modum circumstantiæ, et accidentaliter ab actu exteriori; ex hoc autem quod eadem res, seu finis, quæ in uno actu est objectum, in alio sit circumstantia, præcise per hoc non auget, neque mutat formaliter malitiam, vel bonitatem, sed solum illa extenditur, et materialiter manet major, seu extensive, non vero intensive, nec formaliter. Potest tamen ille actus habere ex objecto suo, et circumstantiis peculiarem bonitatem, quæ non erit participata accidentaliter ab actu imperante, sed propria et essentialis a suo objecto, et hæc sine dubio addet, et augebit super malitiam participatam a fine, sicut qui furatur ut fornicetur, addit supra malitiam fornicationis malitiam furti. Sed de hoc non loquimur in præsentia.

XVI. Ad illud quod dicitur, quod licet libertas non multiplicetur tamen multiplicari potest bonitas, vel malitia, jam præcedenti articulo ostendimus, quomodo bonitas, vel malitia moralis nunquam convenit actui, nisi ut voluntario, et prout fuerit voluntarium, et liberum, sic ei convenit malitia, et bonitas, vel denominative extrinsece, vel formaliter intrinsece.

XVII. Quod vero respondetur ultimo, quod potest indirecte, et per accidens aliquod meritum, et bonum morale nobis invitis tolli, certe hoc valde inconvenienter dicitur, quia quod nobis invitis tollitur, involuntarium est; ergo si ex tali ablatione nos non operamur, quantumcumque per accidens, et indirecte, etiam per accidens, in voluntarium est quod non operemur, ergo illa

non operatio ex tali ablatione consecuta nihil meriti, aut boni moralis nobis diminuit, quia meritum, vel demeritum involuntarium esse non potest. Bene verum est, quod possunt nobis invitis tolli multæ occasionem merendi, non tamen in illa ablatione fit ablatio meriti formaliter, sed quia postea consentimus voluntarie tali ablationi, aut deficientiæ meriti, et non curamus. Cæterum, quod nova aliqua ratio meriti nobis inuitis tollatur, hoc stare non potest. Unde et S. Lucia dixit: « Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam: » et tamen volebat tyrannus, ut integritatem virginitatis amitteret, ergo bonum hoc morale meriti et virtutis, nobis invitis non potest tolli, aut minui, si voluntas ipsa non consenserit. Solum ergo extensio ipsa materialis talis meriti, aut boni tolli potest, quia si tollitur materia in quam fiat extensio, et communicatio talis bonitatis, clarum est quod extensio ipsa tollitur, seu non datur. Sed hoc non est deficere, aut minui aliquod novum meritum intensive, sed solum ejusdem meriti, et bonitatis quædam extensio, et communicatio, seu explicatio in executionem.

XVIII. Dices: Si per vim, et contra voluntatem aliquis detineatur, ne rapiatur ad martyrium, cui jam tota voluntate erat oblatus, iste perdit aureolam martyrii, quia solum debetur illi, qui actu sanguinem suum fundit, et mortem subit pro Christo, ergo potest invitus perdere præmium aliquod saltem accidentale, quale est aureola, ergo et meritum perdere potest invitus, quia præmium est correlativum ad meritum, nec perditur non perditio merito. Et idem est de virginitate, quæ si perditur semel, quantumcumque habeat quis voluntatem illam servandi, non potest aureolam illius mereri.

XIX. Respondetur quod ille qui invitus impeditur a martyrio sibi instante, non perdit essentielle præmium martyrii, ut docet S. Thomas in additionibus ad tertiam, partem quæst. xcvi, art. vi ad tertium, sed perdit aureolam, quæ est aliquod præmium accidentale correspondens difficultati, quæ est in ipsa executione, et pugna martyrii, et illi extensioni quam habet interior voluntatis actus in exteriorem. Et quidem de se isti exteriores actus, qui quamdam habent vehementiam et specialem difficultatem nati sunt augere meritum, vel demeritum, ut ibi dicit S. Thomas, quia nati sunt variare voluntatem propter sui vehementiam nimis attrahentem, vel retrahentem. Et tali casu quo varient voluntatem, nos non loquimur, tunc enim augetur bonitas, aut malitia ex actu exteriori, quia augetur, seu variatur voluntas, ut etiam S. Thomas fatetur in hac quæstione xx, art. iv. Cæterum in nostro casu in quo loquimur, quando exterior actus non auget, nec variat voluntatem, sed est nuda et mera executio actus interioris in tali casu dicimus, quod solum est extensio quædam interioris bonitatis, vel meriti. Et huic extensioni, ut actu factæ, et in re potest speciale aliquod præmium, seu gaudium correspondere quale est in martyribus aureola, quæ debetur illis pro afflictione carnis usque ad mortem. Et quando dicitur, quod hoc est præmium, et perditur etiam ab invito, ergo et meritum, distinguo; est meritum accidentale, concedo; essentielle nego; ergo perditur meritum cui correspondet distinguo; perditur meritum quantum ad extensionem quamdam cui illa aureola correspondet, concedo; quantum ad essentiam formalem meriti nego: hanc enim denegamus actui exteriori, ut præcise exterior est, exten-